

orationibus tam tuis sanctis: quod omnium fratrum memoriā mei habeas. Ut sciant æmuli fidei meæ præstitam esse rationē: & conuenire cum ecclesia recognoscant: & magis magisterium sumant: ut non solum gratulentur nos credidisse: uerum etiam aliquantulum inimicis & credentibus profuisse.

Tractatus beati Hieronymi de essentia trinitatis & membris domini: cuius effectum subiectum indicat argumentum. Epistola Sexta.

Deum trinum in personis: inuisibilem: incorporeum: incomprehensibilem: immensum: immutabilem: simplicem: & immortalē docens infert: Cuncta quæ in scripturis uel de motibus animæ uel de humanis membris tradunt: in deo non carnaliter sed spiritualiter & figuraliter intelligenda: singulariter in membris & motibus dei in scripturis tradita: mysticum & spirituale sensum exponens.

Minipotens deus pater & filius & spiritus sanctus: unus atque trinus: unus uidelicet in natura: trinus in personis: solus inuisibilis: solus immensus atque incomprehensibilis: solus incircumscriptus: solus incorporeus & immortalis: ubique præsens sed latens: ubique totus sed immensus. Inuisibilis est: quia in essentia sua uideri non potest a apostolo testante: qui ait: Quem uidit nullus hominum: sed nec uideri potest. Et in euangelio: Deum nemo uicit unquam. Incorporeus est: quia nullis membris lineamentis compositus est siue compactus existit: sicut ueritas in euangelio dicit. Spiritus est deus: & qui adoratur eum: in spiritu & ueritate oportet adorare. Immensus est: quia quantitas eius uel qualitas a nullo mentiri potest. Cui Salomon in sua oratione supplicans ait: si cæli & cæli cælorum te non capiunt: quanto magis domus ista quam ædificauimus: Incircumscriptus est: quia circumscribi non potest. Illocalis est: quia de loco ad locum nequaquam transit: nec quolibet detinetur ipso de se per Esaiam testimonium perhibente: Cælum sedes mea est: terra scabellum pedum meorum. Et per Hieremiam: cælum & terram ego impleo: Cuius immensitate propheta in psalmis confitens ait. Si ascendero in cælum: tu illic es: & cætera. De cuius immensitate adhuc in libro Iob scriptum est: excelsum cælo est. Et unde agnoscis: Longior est terra. Immensitas eius latior est mari. Qui cælum & terram implet: proculdubio nullus locus est eius presentia absens: super omnia quippe est regendo atque imperando subter est omnia sustinendo atque portando: non pondere laboris: sed infatigabili uirtute. Immutabilis est: quia ab eo quod est: omnino mutari non potest: ipso dicente per Malachiam prophetam. Ego dominus & non mutor. Ideo deus immutabilis dicitur: quia misericordia eius: ira: furor: poenitentia: obliuio: recordatio: & alia his similia ei non accidunt: simplex enim natura est: & immutabilis: & imperturbata neque aliud est ipse & aliud quod habet: sed ipsum est: quod habet: & quod est immortalis est: quia mori non potest a apostolo dicente: qui solus immortalitatem habet: & lucem habet inaccessibilem: quem uidit nullus homo: sed nec uideri potest. Ubicumque autem sacra scriptura sparsim per diuinos libros in deo motus animæ: seu humana membra describit. id est: caput: capillos: oculos: palpebras: aures: nares: os: labia: cor: linguam: imaginem: utrum: manū dexteram: sinistram: digitos siue digitum: alas: scapulas: posteriora: pedes: Item motus animæ iram: furorem: obliuionem: poenitentiam: recordationem: & his similia: non carnaliter iuxta historiam a recte intelligentibus sumenda sunt: sicut a iudeis & plerisque hæreticis carnaliter sapientibus: qui deum corporeum atque localem opinantur: sed spiritualiter omnia de eo intelligenda & contuenda sunt. Siquis enim deo humana membra seu motus animæ: more humano inesse credit: proculdubio in corde suo idola fabricat: Cum ut dictum est: figuraliter in deo caput legimus ipsam essentiam diuinitatis eius quæ omnia precedit: & cui omnia sunt subiecta: intelligere debeamus: capillos uero capitis eius sanctos angelos seu uniuersos electos accipi oportet. De quo quidem sacramento in libro Danielis scriptum est: aspicebatur donec throni positi sunt: & antiquus diebus sedit: uestimentum eius quasi nix candidum: & capilli capitis eius quasi lana munda. Hoc enim significat per uestimenta candida dei: quod & per capillos capitis sui: eius sanctos uidelicet angelos & multitudinem sanctorum dealbatorum. Vel certe ideo capilli eius lanæ mundæ comparantur: ut per hoc antiquus dierum credatur esse. Oculos deus dicitur habere: pro eo quod omnia uidet & nihil eum latet. In cuius conspectu ait apostolus: nulla creatura inuisibilis est: omnia enim nuda & aperta sunt oculis eius. Aliter enim oculi respectu gratiæ eius intelliguntur: ut est illud in psalmo: preceptum domini lucidum illuminans oculos: palpebræ domini occulta & incomprehensibilia iudicii sui spiritualis in diuinis libris eius insinuantur: de quibus occultis & incomprehensibilibus sacramentis atque iudiciis in psalmo legitur: palpebræ eius interrogant filios hominum. id est: probant. Aures dicitur habere dominus propterea: quia omnia audit. Nihil eum sub silentio latet: de quo in libro sapientiæ dicitur: Auris cæli audit omnia: & tumultus murmurationum non absconditur. Nares dei inspiratio eius in corde fidelium: ut est illud in libro regum. Ascendit fumus de naribus eius. id est: lachrymosa compunctio poenitentium in inspiratione eius. Facies dei cognitio ueritatis: seu cognitio diuinitatis eius ad homines: de qua cognitione in psalmo scriptum est: Ostende nobis domine faciem tuam: hoc est dona nobis cognitionem tuam: quæ cognitio per filium omnibus hominibus innotuit: ipso dicente in euangelio: Nemo nouit patrem nisi filius: & cui uoluerit filius reuelare. Aliter uero facies dei significat inuisibilem essentiam diuinitatis filii dei: de qua ipse dominus ad Moysen per ipsum angelum respondit: posteriora mea uidebis: faciem autem meam uidere non poteris: Os uero dei filius dei patris. id est: Christus dominus: de quo Esaias propheta ex iudeorum persona affatus ait: Quia os eius ad iracundiam uocamus: aliter uero os domini sermo eius siue uisio accipitur de quo sermone dei predictus propheta ait: Os domini locutum est: hoc est uerbum filius dei patris: per quod omnia facta sunt: de quo in psalmo dicitur: Verbo domini cæli firmati sunt. Et alibi. Misit uerbum suum: & saturauit eos. Et in euangelio. In principio erat uerbum. Lingua domini mystice significat spiritum sanctum: per quod deus pater secretum suum manifestauit hominibus: unde in psalmo: lingua mea calamus scribe uelociter scribentis. Labia dei mystice utriusque testamenti consonantia intelliguntur: de quibus duobus testamentis in uerbiis dicitur. Et diuinitas in labiis eius: in iudicio non errauit os eius. Brachium uel brachia dei patris filius

monte

filius eius & spiritus sanctus intelligitur: sicut est illud in Esaia: Et brachia mea populos iudicabunt. Brachium dei patris singulariter filius eius accipitur: de quo Hieremias ad ipsū ait. Et nunc domine deus: qui eduxisti populum tuū de terra aegypti i manu forti & brachio extēto. Ideo autē filius dei brachiū dicitur: quia creatura electa ab ipso continetur. Dextera dei patris unigenitus filius accipitur: de quo in psalmo ex persona hominis assūpti dicit: Dextera domini fecit uirtutē: dextera domini exaltauit me. Aliter uero dextera domini gloriam patris & aeternā beatitudinē significat: de quo in psalmo ex persona patris dicitur ad filiū: sede a dextris meis: dicitur autē dextera dei omnis electa creatura in cælo & in terra: sicut per sinistram eius intelligitur reproba creatura. i. demones & omnes impii: qui ad læuam positi aeterna supplicia sustinebūt. Manus dei patris filius eius accipitur eo q̄ p̄ ipsū oīa facta sunt. Aliter uero manus dei potestas intelligitur: de qua potestate i libro Hieremias dicit. Sicut lutum in manu figuli: ita uos in manu mea domus Israel. Itē nōnunq̄ manus domini flagellū accipitur de cuius percussione in Sophonia propheta scriptū est: Extendā manū meā super Iudā: & sup̄ habitantes israel: & disperdā de loco hoc reliquias Baal: pro qua domini percussioe beatus Iob de seipso ait: manus domini tetigit me. Digitus domini singulariter spiritus sanctus accipitur: a quo spiritu sancto lex in duabus tabulis lapideis scripta narratur in modo Synai. Ipse enī scripsit: qui scribenda dictauit. i. spiritus sanctus: de quo spiritu sancto dominus in euangelio: Ego in digito meo eiicio demonia: quod alius euangelista apte declarans ait: Si ego in spiritu dei eiicio demonia. Sicut enī digitus cū manu uel brachio: manus uero uel brachiū cū corpore sūt i natura unū: ita pater & filius & spiritus sanctus: tres quidē sunt i psonis: una uero substātia diuinitatis. Digni dei pluraliter sancti intelligunt̄ propheta: p̄ quos sanctus spiritus legis ac prophetarū libros sua ispiratiōe describit: de q̄bus in psalmo dicitur: Videbo cælos tuos opera digitorū tuorū. Per cælos enī libros legis & prophetarū: p̄ digitos uero sanctos ut dictū est prophetas: mystice insinuauit. Imago dei patris inuisibilis: aliter nāq̄ est imago dei p̄ris in filio suo: quem non aliunde sed ex semetipso: hoc est ex substantia sua: & per oīa sibi similit̄ & æqualē genuit. Aliter uero in aīa hoīs: quā non ex se. i. de substantia sua: sicut pleriq̄ hæretici opinati sunt genuit: sed ex nihilo creauit. Sicut aliter est imago cuiusq̄ regis in filio eius: quē ex semetipso sibi similem genuit. i. hō hoīem. Aliter uero in annulo siue in cæra imago est impressa: quæ non est: quod ipse filius qui naturaliter hoc est q̄ & pater. Cor dei patris est arcanū eius sapientiæ mystice: ex quo uerbum id est filiū suū impassibiliter sine initio genuit: ipso dicente: Eructauit cor meum uerbum bonū. Alas deus dicitur habere: pro eo quod more auis electos suos tāq̄ pullos sub se colligit: fouet: & ab insidiis diaboli & malorū hoīum p̄tegit. Vnde p̄pheta: Sub ūbra alarū tuarū protege me. Scapulas habere dicitur: quia infirma mēbra ecclesiæ quasi in scapulis portat. sicut i psalmo dicit: Scapulis suis obumbrabit tibi. Venter dei secreta origo substantiæ eius accipit̄. Vnde in psalmo: Ex utero ante luciferū genui te. Aliter uterus dei: incōprehensibilia iudicia eius: quæ rimari nequeūt: insinuatur mystice. de quo occulto iudicio eius in libro Iob scriptum est. de cuius uero egressa ē glacies: & gelu de cælo quis genuit. Posteriora filii dei incarnatio eius accipitur: de qua posterioritate filius in monte Synai ad moysē p̄ angelū loquens ait: Posteriora mea uidebis: faciē autē meā uidere nō potes. Pedes dei stabilitū & uirtus eius est: eo q̄ ubiq̄ p̄æsens est: & uniuersa ei subiecta sunt. Illo ipso dicente per Esaia prophetam: Cælum mihi sedes est: terra autem scabellum pedum meorum. Aliter pedes filii dei incarnatio intelligitur: quæ diuinitati subiecta est tanq̄ capiti pedes. Sicut enī per caput diuinitas: ita per pedes eius humanitas eius exprimitur: de qua in Exodo scriptū est: Viderunt Iesum dominum: hoc est Moyses Aaron & Nadab & Eliud & septuaginta de senioribus populi sub pedibus eius quasi lapis sapphyrius: & quasi cælum cui serenum sit. Sicut autē p̄ lapidē sapphyrium cælestes uel sanctos angelos: ita p̄ cælum serenum sanctā ecclesiā electorū ex hoibus assumptā figuraliter demonstrare uoluit: super quas duas creaturas homo assumptus filius dei in perpetuum regnat: de quo in psalmo dicitur Omnia subiecisti sub pedibus eius. Aliter autē dei pedes. i. Iesu Christi: significati sunt sancti predicatores: de q̄bus in Deuteronomio scriptum est: Qui appropinquauit pedibus eius: accipiet de doctrina eius. Vestimentū filii dei aliquando caro eius: quæ a diuinitate est assumpta: in diuinis libris figuraliter accipitur: de quo indumēto carnis Esaia ait: Quis est iste qui uenit de Edō: tinctis uestibus de bosra: Rursus uestimenta eiusdē domini sancta accipitur ecclesiā: quæ per fidē & dilectionē ei coniuncta est: de qua dicitur in psalmo: Dominus regnauit: decorē induit. Et in psalmo alio ad ipsū dominum confessionē & decorē induisti: amictus lumine sicut uestimento. Pallium iam dicta eius ecclesiā intelligitur: de quo in libro Genesis scriptum est: lauit in uino stolam suā: hoc est in passione & sanguine carnē suā. Calciamenta domini nostri Iesu Christi mystice significant incarnationē eius: quā ex mortalitate humani generis assumere dignatus est: de qua incarnatione sua ipse p̄ prophetā in psalmo ait. In Idumeā extendā calciamentū meū. i. in plebe gentiliū manifestabo incarnationē meam. Gressus dei aduentus filii dei in mundū: & regressus ad patrē de quibus psalmus ait: Visi sunt gressus tui deus: gressus dei mei. De utero uero nascendo positus est in præsepio: quia postq̄ omnia impleuit pro q̄bus a patre missus uenerat: appensus est in ligno crucis: de cruce autē depositus secundū corpus: sepultus est: & secundū animā ad infernum descendit. Tertia autem die per potentiam suæ diuinitatis carnem suam de sepulchro suscitauit. Et post diem resurrectionis quadragesimo die uidentibus apostolis ascendit in cælum: & sedet ad dexteram patris. i. ad gloriam eius. Hi sunt enim gressus filii dei: iste descensus & ascensus eius: qui frequenter in sacris scripturis legitur. Ascendere dicitur deus: cum filius carnem ex nobis assumptam i cælum uelut captiuā duxit captiuitatē: quia naturā hūani generis quæ a diabolo i mūdo captiua retinebat̄ assumēs locū i cælū ubi nunq̄ a te fuerat: tanq̄ captiuā deportauit. Abscōdere faciē suā deus legit̄ cū hoibus q̄busdā eorū exigētibus culpis: cognitio nem suā abscondit: sicut in populo iudæorū nūc impletū uidemus: quia negātes filiū dei sciētā iudæi ita p̄didit

ut similes fierent gentibus quæ deū non nouerunt. Ostendere faciē suā dicitur deus: cū respectū gratiæ suæ qui-
bus uult scilicet electis suis: in corda eorū occulta inspiratione insinuat: & ad diligendū se; amorē suū infundit.
Sedere dicitur deus non corporaliter humano more: sed potentialiter super omnē creaturā regnando eā possi-
dere. Vnde est illud in psalmo. Regnabit dominus super omnes gentes: deus sedet super sedem suam. Sedere
autem deus dicitur super Cherubin quod interpretatur plenitudo scientiæ: per quod significantur sancti ange-
li: siue mentes spiritualium uirorum: in quibus deus inuisibiliter presidet & regnat. In illis enim sedent: qui sciē-
tia eius & dilectione pleni sunt. In prouerbis quippe Salomonis: Anima iusti sedes est sapientiæ. Sapientia ue-
ro dei patris Christus est: qui in animabus sanctorum dei sedere dicitur. Descendere deus in mundum dicitur:
quando aliquod nouum quod ante non fecerat in creatura humana operatur: sicut filius dei patris descendisse
narratur: quando uerā carnē ex Maria uirgine propter redēptionē nostrā suscepit: & deus homo fieri dignatus
est non amittendo quod erat: sed assumendo quod non erat: de cuius assūptione. i. incarnatione ut in psalmo scri-
ptū est: Inclinauit cælos & descendit & caligo sub pedibus eius. Cælos inclinauit: qui aduentū suū pronūciās:
angelos siue prophetas misit: qui aduentū eius hoibus nunciarent. Caligo sub pedibus eius: quia ipii hoies ob
suā malitiā incarnationē eius agnoscere non potuerunt: nec adhuc possunt. Stare deus dicitur: cū nos infirmos
.i. suā creaturā: ad pœnitentiā & conuersionē patienter sustinet: ut est illud in Abachuc propheta: Stetit & men-
sus est terrā: & dissoluit gentes. i. stetit ad superueniendū: & dissoluit credentes in se a uinculis peccatorū. Tran-
sire dicitur deus cū de cordibus quorundā hominū in quibus antea per fidē condebatur: postea sub repente p-
fidia: uel quolibet delicto: ab eis recedit & ad alios transit: quē admodū de Iudæis ad gentes: de hæreticis ad ca-
tholicos: seu de quibuslibet irreligiosis & negligentibus pro uitio suo recedere dicitur: & ad alios transire: quod
non localiter aut uisibiliter sed inuisibiliter occultoq; iudicio facere consueuit. Ambulare dicitur deus: nō de lo-
co ad locū transeundo: quia ipiū est ita credere: sed ambulatio eius est in cordibus sanctorū delectatio: sicut scri-
ptū est: Et inhabitabo in eis: & ambulabo: & ero illoꝝ deus. Vel certe dei ambulare est in sanctis predicatoribus
suis de loco ad locū transire. Loqui dei est inuisibiliter sine uoce uel quolibet strepitu: in mentibus sanctorū uo-
luntatē suā atq; rectū intellectū inspirare: seu futura sicut in sanctis prophetis reuelare: quæ locutio dei ut qui-
dā uolunt: tribus modis accipitur. Primo nāq; modo per subiectā creaturā: sicut ad Moysē in rubo & igne ap-
paruit: uel sicut ad Abrahā atq; Iacob & ceteros sanctos: quibus in angelis apparuit. Secūdo uero modo in so-
niis: sicut ad Iacob & ad zachariā prophetā & ad Ioseph spōsū Mariæ & aliis sanctis: quibus secreta reuelare uo-
luit. Tertio autē modo neq; p creaturā uisibile neq; p hoiem: sed occulta cū inspiratione inuisibiliter corda eorū
tangendo efficit: sicut in libris prophetarū scriptū est: cū ipsi propheta subito afflatus spiritu sancto exclamant di-
centes: hæc dicit dominus: dei est bona acta pbare: sicut & illud in Genesi: Vidit deus cūcta quæ fecerat & erāt
ualde bona. i. intelligentibus esse bona demonstrauit. Aliter uidere dei est mala hominū scienter reprobare: si-
cut est illud in Esaia propheta. Et uidit deus: & apparuit malū in oculis eius. Itē aliter uidere dei est nos uiden-
tes facere: ut est illud in psalmo. Proba me domine & scito cor meū. Modus iste locutionis in libro Job similiter
reperitur: ubi de sapientia patris postq; plurima insignia locutus est de deo patre adiunxit: tunc uidit illā: & enar-
rauit: & inuestigauit: & iperauit. i. uidētes fecit atq; predicantes: & inuestigantes atq; aliis nunciātes. Cognosce-
re dei est cognoscentes facere: ut qui prius de se quales essent incogniti erāt: p eius interrogationē & probationē
quales essent sibimetipsis cogniti fierēt: tale est illud in lege Moyli de populo israelitico: Tētabo iquit eos: utrū
custodiant mandatū meū an nō. Nescire dei dicitur quosdā reprobos reprobare: sicut in euāgelio dicit: Nescio
unde sitis: recedite a me omnes qui operamini iniquitatē. Cælare dei dicitur: cū creaturā suā: quā non uult peri-
re: sepe castigat: cōprimit: atq; flagellat & flagellando adducit ad se: uel cælare dei dicitur: cū nullū peccatū ipu-
nitū uult relinquere. Iustus est enī: & ideo omnis iniusticia execrabilis est illi: quia ut dictū est nihil impurū pa-
titur impunitū. Irasci dicitur: non animæ motu uel quauis aliā perturbatione: quæ oīno illi accidere non potest
sed creaturæ delinquenti. i. hoibus ipiis & peccatoribus iustam dicitur inferre ultionē: hoc est reddere illis quæ
merentur: & hec est ultio diuina: iste furor eius dicitur. Pœnitere deus dicitur: non q; more hominum de transa-
ctis operibus pœniteat: qui enī oīa nouit ante q; fiant: pro suis preteritis actibus pœnitere non potest: sed pœni-
tentia dei est statuta mutare. i. de bono exigentibus culpis malū: de Saule legitur pœnituisse deū: q; cōstituit eū
regē: uel sicut nūc uidemus in populo Iudæorū: qui cū esset populus dei ob impietate suā factus est synagoga sa-
thana. De malo uero in bonū sicut accidit in populo gentium: qui cū prius non esset populus dei: nunc autē p
gratiā christi populus dei factus est. Hoc quippe modo occulto dei iudicio Iudas christi proditor de apostola
tus lapsus gradu in inferni baratro demersus est. Latio uero post crimen rapacitatis de cruce ad paradisu tran-
slatus est. Hanc quoq; mutationē de bono ad malū ut dictum est: siue de malo ad bonum: quia occulto iustoq;
dei iudicio p sentētia iusticiæ suæ siue p misericordiā eius fiat: pœnitentiā dei dicimus: sicut expressius in libro
Hieremiæ scriptū est. Non pœnitere dei est statuta nullo modo mutare: unde est illud in psalmo. Iurauit domi-
nus & nō pœnitebit eū. Et pater ad filiū: Tu es sacerdos in æternū secūdū ordinē Melchisedech. Sacerdos enī dei
patris dictus est filius dei nō secūdū diuinitatē sed secūdū humanitatē: i. qua se pro nobis p passionē & mor-
tē suā acceptabile sacrificiū deo patri obtulit: & ipse est sacerdos qui & sacrificium. Obluisci dicitur deus cum q
busdā ipiis & peccatoribus nō misereat: quod utiq; nō facit ppter crudelitatem quæ in deo nō est: sed p occultum
iustumq; iudicium suum. Indurare dicitur deus quorundā corda malorū: sicut de Pharaone rege ægypti scrip-
tum est: nō q; omnipotēs deus per potētiam suā eorū corda iduret: quod ipium est ita credere: sed exigētibus eorū
culpīs cū duriciā cordis: quā ipsi sibi oīa mala perpetrādo nutriunt nō aufertur: quasi illos obliuiscitur quos
in isto

Cherubin

Locutio dei

Sicut

in isto iudicio induratos finit. Dormire dei est: cum unigenitus dei patris in assumpta carne pro nobis mori dignatus est cuius morte recte dulcis fuisse prædicatur: ipso dicente per Hieremiam prophetam: Ideo quasi in somno excitatus sum: & uidi: & sonus meus dulcis est mihi. Aliter dormire deus dicitur: cum fides eius inter prosperitates huius mundi: in quorundam corda fidelium non uigilat: sed dormit: hæc dormitationem ipse significauit cum in mari inter fluctus maris dormiuit. Vel certe dormire dei est anxius tarde subuenire: sicut est illud in psalmo: Exurge quare obdormis domine: Vigilare dei est in defensione suorum electorum: & ultione inimicorum suorum manifeste se demonstrare.

Beati Hieronymi presbyteri ad Damasum papam obsecrantis: ut sibi respondeat cui in Syria debeat communicare. Epistola septima.

Impertuna in euangelio mulier tandem meruit audiri: & clauso cum seruis ostio: media licet nocte ab amico panes amicus accepit. Deus ipse qui nullis contra se uiribus superari potest: publicani precibus uincitur. Niniue ciuitas quæ peccato periit: stetit. Quorsum ista tam longo repetita principio: uidelicet ut paruum magnus aspicias: ut diues pastor morbidam non contenas ouem. Christus in paradisu de cruce latrone iulit. Et ne quis aliquando seram conuersionem putaret: fecit homicidii poenam esse martyrium. Christus inquam prodigum filium reuertentem lætus amplectitur: & nonagintanoue pecudibus derelictis: una ouicula quæ remanserat: humeris boni pastoris aduehitur. Paulus ex persecutore fit prædicator: oculis carnalibus excæcatur: ut mente plus uideat: & qui uinctos Christi famulos ducebat ad conciliu iudæorum: ipse postea de Christi uinculis gloriatur. Ego igitur ut ante iam scripsi: Christi uestem in Romana urbe suscipiens: nunc barbaro Syriæ limite teneor: & ne putes alterius hanc de me fuisse sententiam: quid mererer: ipse constitui. Verum ut ait Gentilis poeta. Herod.
Cælum non animum mutat: qui transmare currit.

Ita me incessabilis inimicus post tergum persecutus est: ut maiora in solitudine bella nunc patiar. Hinc enim præfidiis sulca mundi Arriana rabies fremit. Hinc in tres partes scissa ecclesia ad se rapere festinat. Monachorum circa comanentium antiqua in me surgit auctoritas. Ego interi clamito: si quis cathedræ Petri iungitur: meus est. Milletus: Vitalis atque Paulinus tibi hæere se dicunt: possem credere: si hoc unus assereret: nunc autem duo mentuntur aut omnes. Idcirco obtestor beatitudinem tuam: per crucem domini: per necessitatem decoris fidei nostræ & passionem: ut qui apostolos honore sequeris: sequaris & merito ita in solio cum duodecim iudicaturus sedes: ita te alius senem cum Petro cingat: ita municipium cæli cum Paulo consequaris: Ut mihi litteris tuis apud quem in Syria debeam communicate significes: noli despicere animam pro qua Christus mortuus est.

Secundus tractatus de impugnationibus diuersarum hæresum & hæreticorum beati Hieronymi ad marcellam contra Montani hæretici insaniam: qui promissionem sancti spiritus in se dicebat esse completam ostendens non in eo tantum sed in aliis eius dogmata a catholica ecclesia discrepare: quis autem fuerit ipse moranus & quo tempore hæresis suscitata sit habes quinto historiae ecclesiasticae libro. Epistola octaua.

Testimonia de Ioannis euangelio congregata tibi quidam Montani sectator igessit: in quibus saluator noster se ad patrem iturum missurumque paraclytum pollicetur. Quæ in quod promissa sint tempus: & quo completa sint tempore apostolorum acta testantur. Decima die dixit post ascensum domini hoc est qui quagesima post resurrectionem spiritum sanctum descendisse linguasque credentium esse diuisas: ita ut unusquisque oium gentium sermone loqueretur. quando quidam adhuc paru credentium multo eos ebrios assererent. & Petrus stans in medio apostolorum omnisque conuentus ait: uiri iudæi & omnes qui habitatis in Hierusalem: hoc uobis notum sit: & auribus percipite uerba mea. Non enim sicut uos aestimatis hi ebrii sunt: nam est hora diei tertia. sed hoc est quod dictum est per Iohel prophetam: In nouissimis diebus dicit dominus. effundam de spiritu meo in omnem carnem: & prophetabunt filii & filiae eorum: & iuuenes uisiones uidebunt: & seniores sonia soniabunt. & quidem in seruos meos & ancillas effundam de spiritu meo. Si igitur apostolus Petrus super quem dominus fundauit ecclesiam & prophetiam & promissionem domini illo tempore completam memorauit: quomodo possumus nobis aliud tempus uindicare: Quod si uoluerint respondere: & Philippi deinceps quatuor filias prophetasse & prophetam Agabum reperiri: & in diuisionibus spiritus inter apostolos & doctores prophetas quoque apostolo scribente formatos: ipsaque Paulum apostolum multa de futuris hæresibus & de fine sæculi prophetasse: sciant a nobis non tam prophetiam repelli quæ domini signata est passione: quæ eos non recipi: qui cum scripturæ ueteris & nouæ auctoritate non congruant. Primum in fidei regula discrepamus. Nos patrem & filium & spiritum sanctum in sua unum quemque persona ponimus: licet substantia copulemus: illi Sabellii dogma sectantes trinitatem in unius persone angustiis cogunt. Nos secundas nuptias non tam appetimus quam concedimus: Paulo iubente ut uiduæ adolescentulæ nubant: illi in tantum putant scelerata coniugia iterata: ut quicumque hoc fecerit adulter habeatur. Nos unam quadragesimam secundum traditionem apostolorum toto anno tempore nobis congruo ieiunamus: Illi tres in anno faciunt quadragesimas: quasi tres passi sint Saluatores. Non quo & per totum annum excepto Pentecostem ieiunare non liceat: sed quod aliud sit necessitate: aliud uoluntate munus offerri. Apud nos apostolorum locum episcopi tenent: apud eos episcopus tertius est. Habent enim primos de pepusa phrygiæ patriarchas: secundos quos appellant Cenones: atque ita in tertium. id est pene ultimum locum episcopi deuoluuntur: quasi exinde ambitiosior religio fiat: si quod apud nos primum est: apud illos nouissimum sit. Illi ad omne pene delictum ecclesie obferant fores: nos quotidie legimus: malo poenitentiam peccatoris quam mortem. Et nunquid qui cadit non resurget: dicit dominus: Et conuertimini ad me filii conuertentes: & ego curabo contritiones uestras. Rigidi autem sunt: non quo & ipsi peiora non peccent: sed quod inter nos & illos sit: quod illi erubescunt confiteri peccata quasi iusti: nos dum poenitentiam agimus.

Episcopi tertius loci
Apostolorum in ecclesia